

Ann. VI.

Num. XII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



## Subnotatio fieri potest:

### IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES  
VARSIAE POLONORUM VARSIAE POLONORUM LONDON W.  
Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6

### IN ANGLIA

AMERICAE SEPTENTR. Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ. NEW YORK CINCINNATI  
28, Orchard Street. 52, Barclay Street. 436, Main Street.

### IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

APUD FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

### IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

### IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES  
MONTREAL  
1699, Rue Notre-Dame.

## RERUM INDEX

DE MONUMENTIS TUENDIS . . . . .	H. D. V. Pieralice.
ATHERITES IDEST DE HOMINE CONVICIATORIE AC MALEDICO . . . . .	M. Belli.
DE QUIBUS DAM GRAECIS PAPYRIS RECENS AB AEGYPTO COMPARATIS . . . . .	Forfex.
VER VITAE . . . . .	V. Hertel.
DE LATINA ELOQUENTIA IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI . . . . .	Subalpinus.
IUSTUS LIPSIUS . . . . .	I. Antonelli.
PETRUS LACRIMANS . . . . .	Laelius.
QUID OLIM (CENTUM ABHINC SAECULIS) IN PERSIDE? . . . . .	G. P.
SATURIO. Comoedia latinis versibus conscripta et in tres actus distributa.	I. B. Francesia.
SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS. De recta pronunciatione latinae linguae dialogus. . . . .	I. Lipsius.
DE PILARI LUDO CUI NOMEN PELOTA. . . . .	A. Costaggini.
ANNALES . . . . .	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS . . . . .	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO . . . . .	Fr. Xav. Reuss.
AENIGMATA . . . . .	I. B. Pesenti.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM . . . . . LIBRI RECENS DONO ACCEPTI. Viator.

## ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

Sociis et lectoribus Commentarii nostri vehementer commendamus instrumentum,  
quod, rei proprietate sibi vindicata, confecit

**SOCIETAS LATIALIS EDITRIX**

(ROMAE, Corso Umberto I, 219),

cui machinae nomen est:

**SCRIPTOR AUTOMATICUS**

(ITALICE "COPISTA AUTOMATICO ,");

quippe inter horas tres quodvis scriptum, qualibet in charta, millies reddat: epistolas, litteras eodem exemplo ad plures dimittendas, consultationes, edicta, invitationes, nuncia, acceptorum et datorum rationes, libellos, lineas vel figurae descriptas, exemplaria, formas, musicen, et alia.

Societas ipsa fidem praestat Scriptorem hunc Automaticum tribus horis ex uno chirographo mille et ultra exempla exhibere, eaque omnia pariter nitida atque perfecta: — quinque temporis momenta satis esse ad eius usum discendum; — chirographumque celeriter scribendo, non secus ac communi quovis calamo, parari.

Instrumentum, utili spatio disponens cent. 23 X 34 novum et ex omni parte perfectum **venit libell. 45;** atramenti ampulla (per aliquot menses sufficiens) libell. 4; folia singula ad chirographum scribendum libell. 0,15.

Premium solvi potest cum traditur merx; portatio vero fit ad impendium iubentis.

Una cum Automatico Scriptore paucae eaeque simplices institutiones ad rite ipso utendum necessariae mittuntur.

**GRATUITO**

quisque habebit et experimentorum specimina et opuseulum continens **plus sexcenta** de re iudicia.

Omnia petantur a

**SOCIETATE LATIALI EDITRICE**

(Romae, Corso Umberto I, 219).

**SOCIIS MONITUM.**

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

In Ita  
Lib. 15,

DE MON

Q UAE pro t  
iis, qua  
sumus non lo  
erga maiores,  
qui laudabile  
ribus credider  
agebat, et ad  
sapientiae mo  
provehendam i  
ad humanitatem  
conservandam  
scimus pariter  
mamque tueri,  
violabilia, inde  
quid erit gens  
quaes majorum  
memoriam eor  
Bono omnium  
dicamus pagin  
exitum usque p  
pro monumentis  
gnare noseamu  
tollimus, qui v  
suas monumen  
nobiscum conse  
laboratuos et  
optamus. Quid  
Tua res agit

Mirifica quid  
dentes partim,  
omnes, non le  
impedio euris,  
iniuriosa vindic  
Quinimo eo ant  
historieorum vi  
que potuerunt,  
mittat hue illa  
qui urbes olim  
dera, et interdu  
gnoscendas ruin  
effodiat, et qua  
tradat, chartis  
terra, quasi gra  
interdum repen  
mia nova se d  
inceptis, nec a p  
ea, quae in Cr  
et Ninivem, co  
feram, quae in  
didimus de qua  
eissime inventio  
vero sine laude  
apud plerasque  
non modo qua  
etiam, quoad p

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

## BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## DE MONUMENTIS TUENDIS.

**Q**UAE pro tuendis monumentis petimus, ab iis, quae pro latinitate tuenda professi sumus non longe abesse diximus. Eadem enim erga maiores, qui fecerunt, qui aedificarunt, qui laudabilem recordationem excitatis marmorebus crediderunt, reverentia nos ad scribendum agebat, et ad tuendam latinitatem, qua tantae sapientiae moles est, et ad ventura saecula provehendam incolumem hortabatur. Siebamus ad humanitatem omnium gentium fovendam, conservandam augendamque nos facere; nunc scimus pariter singularum gentium laudes famamque tueri, dum, quo possumus Marte, inviolabilia, indelebilis monumenta tuemur. Numquid erit gens tam immansueta tamque fera, quae maiorum suorum nomina negligat, quae memoriam eorum velit deletam, extinctam? Bono omnium igitur nobis proposito, hoc vindicamus paginis hisce nostris, ut qui primo ad exitum usque pro latinitate pugnavimus, iidem pro monumentis asservandis in acie prima pugnare noscamur. Nihil umquam cuivis populo tollimus, qui volumus ut unicuique sint gloriae suae monumenta servata; atque igitur omnes nobiscum consentire speramus, et nobiscum adlaboratuos et fore confidimus, et adlaborantes optamus. Quid contra?

*Tua res agitur paries cum proximus ardet...!*

Mirifica quidem iucunditate afficimur, ea viventes partim, partim legentes, quae civitates omnes, non levi impendio, neque minoribus impendio curis, quotannis agunt, ut ab humo iniuriosa vindicent monumenta sua dignitatis. Quinimo eo antiquitatis desideria creverunt, eo historicorum virorum vestigationes rogationesque potuerunt, ut quaevis civitas insignia mittat huc illuc agmina eruditorum suorum, qui urbes olim florentissimas, nunc deserta ruderam, et interdum ne suis quidem propriis diognoscendas ruinis, collata operariorum manu effodiat, et quae sunt reliqua museis servanda tradat, chartis notet. Quo factum est, ut ipsa terra, quasi grata hominum curis, pulcherrimis interdum rependat exantatos labores, et praeemia nova se daturam promittat, si haereant inceptis, nec a proposito dimoveantur. Numquid ea, quae in Creta insula, quae apud Babylonam et Ninivem, commemorabo? Aut iterum ea referam, quae in commentario nostro saepe redidimus de quae sit in Africa et Asia, et felicissime inventis? Semel dixisse sat est. Nec vero sine laude praeterunda illa sunt, quae apud plerasque civitates fieri legimus; nam non modo querere, semisepulta emere, sed etiam, quoad possunt, restaurare inventa ge-

stiunt, festinant in pristinam referre formam reperta; singula calamo notare, praelo tradere, ne memoria intereat; quinimo nec saluti, nec pecuniae parcere constituant, ut debitos in honores illa revocent, quae vel aetate, vel incuria gentium seu quassata, seu lapsa sunt.

At interdum, dum illa recensemus, lamentationes reperientium vel audimus, vel legimus. Et quaenam hae? Lamentantur fuisse rapaces, fuisse ignaros rerum homines, qui divitiis inhiantes subverterunt, demolitique sunt ut raparent, ut venderent, nec mortuorum ossibus percerunt, sancta Manium iura perfringentes, omnia miscentes, thesauros nescio quos, prouti reconditos abditosque arbitrarentur, quaerentes. Sic et artis eximiae insignia opera perdiderunt, sic historiae pretiosissima documenta contriverunt, irreparabili damno scientiam una, humanumque succedens genus affecere. Ergo non nullorum culpa, paucorum scelere cum haec facta sint, et fiant, illud in primis premit munus cultas civitates, quoniam quae praeteriere tempora revocare non possumus, ut ipsae altius in mentibus civium suorum infigant obsequium erga ea quae a maioribus accepta sunt, et posteris credita reliqua sunt, ut servent, non ut destruant, non ut delean aut subvertant, sed uti venerentur ac tueantur. Quum autem haec ubique, praesertim in urbibus, magna ex parte saltem cauta sint sanctissimis legibus, et raro, aut numquam contra audeat nemo, cumque praeterea maxima urbium rudera priscarum et sepulchra in agris sint, quos lignibus et aratro rustici exerceant, ad agricolas praesertim convertenda cura omnis est, ne quid faciant, quod loco, tempore occultum restet, et impune patretur.

Atqui ad haec assequenda nihil habet magistratum vigilantia, nihil satellitum, nihil custodum frequentia, cum interdum pretiosissima casu eruantur vomere, dum terra exercetur, vel noctu, in silentio, in tenebris praedandi coniuratio expilatione absolvatur. Itaque cum angusta innocentia sit, quae metu punitionis contineatur et poenis, nemini enim semper ad humeros vindex gladius legum stat, maxima est ea vero innocentia, quae conscientia et horrore sceleris munitatur, in hoc admidendum, ut singuli et omnes vel ab unguiculis, ut aiunt, tenellis, vel a primis ludis a magistro in schola, a parentibus domi moneantur, ne quid contra monumenta faciant, ne quid ex illis sibi veluti proprium censeant, quod easu aliquo ex antiquis rebus veniat ad manus. Pertinent haec ad scientiam, pertinent ad humanum genus, pertinent ad maiores illos demortuos, qui fecerunt, nec illi, aut illi, sed omnibus posteris suis habenda reliquerunt. Quapropter non modo sacrilegio

quodam, sed furto ingenti tenentur obstrieti, et poenis non severis, sed vel atrocibus animadvertisendum in eos, qui sacrilegio, qui furto huiusmodi se scelerant. Quid enim putas, et quanti putas eum, qui vel marmoream hetruscam lannam perfrerit, vel argenteam vendiderit bilingui, puta, inscriptione distinctam? Mysterium ingens sermonis illius, quod facile pataret, aeternis iterum tenebris offundet. Qui thesaurus aequo tantum rependet iacturam?

Sed haec optima nemo esse negabit; est autem et aliud caput rei ingens. Homines turpis luci cupidi circumveunt, perque agros vicosque errantes assibus paucis ab ignaris agricolis emunt, quae isti inveinerunt dum fundos colunt. Saepe numismata perrara brevi aere comparant, inscriptos lateres, aeneas, argenteas res, gemmas, quas illi ignorant, tamquam crepundia paucis tabaci foliis acquirunt. Sexcenta huiusmodi sunt. Ergo adversus hos auctoritas, lex, magistratus, respublica decernant necesse est; primo ut impedianter quominus sedueant, ostiatis quaequaerendo; secundo, ut qui contra legem hanc faxit, aerioribus legibus, quam quae ubique sunt, immisericordi iudicio plectatur. At pariter constituendus est vir probus et prudens, qui ex aerario publico oblata coemat, coempta, toties quoties, in libro scribat, scripta una cum libro, cum nominibus vendorum, cum pretiis soluti notitia plures in anno musei proximioris rectori exhibeat. Tunc quae rara magis tribuantur reipublicae, quae minus sub hasta venum dentur. Experti loquimur, qui numisma singulare familiae Durmiae, quod vix trecentis libellis venale fuisse, duobus libellis tantummodo venditum a colono scimus; nec relatu alicuius haec scimus, sed aure, oculis huic sceleri, huic fraudi, non manu, non assensu, immo inutili monitu contra, interfuiimus.

Speramus itaque nostris hisce elucubrationibus monumentorum conservationi ac tutelae profuisse, et viam, qua nequid pereat in posterum, designasse.

H. DE VECCHI PIERALICE.

## THERSITES

IDEST

DE HOMINE CONVICIATORE AC MALEDICO.<sup>(1)</sup>

Nunc quae Ulyxes Thersiti responderit, audiamus:

Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐών ἁγορῆθε,  
ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οίος ἐργέμεναι βασιλεύσιν.  
οὐ γάρ ἐγώ σέο φημι χερεύστερον βροτὸν ἄλλον  
ἔμεναι, οὔσοι δημ' Ατρεΐδῃς ὥπε "Πλιον ἡλθον.

(1) Cir. num. sup.

τῷ οὐκ ἔν βασιλῆς ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις, καὶ σφιν ὄνειδεά τε προφέροις, νόστον τε φυλάσσοις, οὐδέ τί πω σάρξ θύμεν δπως ἔσται τάδε ἔργα, ή εὖ ή ἐ κακός νοστήσουμεν υἱες Ἀγαθῶν. [τῷ νῦν Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι, ποιμένι λαῶν, ἦσαν ὄνειδῶν, ὅτι οἱ μάλα πολλὰ διδύσσουν ἥρωες Δαναοῖς· σὺ δὲ κερτομέσων ἀγορεύεις.] ἀλλ' ἔν τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται· εἰ κ' ἔτι σ' ἀρρενόντα κιγκόμουτα ὡς νύ περ ὁδε, μηδέτερος ἔπειτι Οδυσσῆα κάρη δύμοιν ἔπειν, μηδέτερος Τηλεμάχοιο πατήρος κεκλημένος εἴην, εἰ μὴ ἐγώ σε λαζών ἀπὸ μὲν φίλων εἰμικτα δύσω, γλαῦκην τ' ἀδὲ λιτῶν, . . . . . αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆσος ἀρήσω πεπληγώς ἀγορεύειν ἀνείστου πληγῆσιν.

(v. 246-264).

In Ulyxeo responso quaedam iterum animadverte; quoniam, cum in re momentosa, idest de malis detractorum artibus detegendis, versemur, minima quaeque iuvat explanare.

Auream in primis sententiam tene, quam paene dixi v. 246 celat. Prosa oratione ita sonat: «Thersite loquacissime, vocalis quamvis sis concionator, desine, etc.». Quid haec? Idem est ac dicere: «qui plus aequo blaterat sapientia caret»: idque necessario ad maledicos homines pertinet. Adde illud φυλάσσοντος νότον versus 251 ironia dissimulantiaque plenum. Italice significat: *provvedere, prendersi briga;* hic autem bene redditur a latino interprete «reditum captare», idest «dolis fraudibusque» quae detractoribus in usu sunt, quodque ignavi hominis est, non aliter ac dicere solemus: *Salvar la pancia per i fichi.* Postremo nonne attico lepore tineta ea poena est, quam Ulyxes se Thersiti minaturum spondit, si rursus eum insaniensem deprehenderit? «Adeoque tibi edeo, quod et perfectum erit, || Sienbi ყурс te insaniensem deprehendero, sicut hic, || Ne amplius deinceps Ulyxi caput super humeros sit, || Neque posthac Telemachi parens voce, || Si non ego te comprehenso, tuas quidem vestes exnero, || Laenamque et tunicam... || Et temet eiulantem veloces ad naves dimisero || Caesum e concione turpibus verbibus». (v. 257-264). Thersites plagis caesus et vestibus per vim nudatus! O poenam detractore vere dignam! Utinam et nobis fas esset turpes maledicentium hominum mores prodere!

Igitur ex his quae hoc usque recensui aperte constat in Thersitea narratione veri nominis ἀλλεγορίαν contineri, qua Homerus lectorem admonere studet, ut pestiferum id vitii genus omni ope tollere atque penitus extingue natiatur.

Minas poena consequitur:

Ως ἄρ' ἔφη, σκήπτρῳ δὲ μετάρρενον ἡδὲ καὶ σψω πλάκεν· ὁ δὲ ιδνώθη, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ. σρδλιξ δ' αἰματίθεσσα μετάρρενον ἔξυπνανέστη σκήπτρου μέπο γρυπέου· δ' ἄρ' εὗτο τάρβησέν τε ἀλγήσεις δ' ἀγεστον ιδών, ἀπομόρξατο δάκρυ.

(v. 265-269).

«Sie dixit: sceptroque tergum et humeros || Pereussit, ille autem incurvatus est, eique uberes exciderunt lacrymae. || Vibexque eruenta in dorso extumuit || Sceptro ab aureo, ipseque sedit, expavit: || Ac dolens, vultu demisso, abstersit lacrymas».

Quanta vis comiea! Thersites naturae dedecus et Ulyxes magnanimus heros; sceptrum Laertiadis aureum et Thersitae vibex cruenta, quae, cum dorso verbera densantur, repente extumet; lacrymae ex Thersitae oculis uberrime excidentes et Achivorum risus iocuesque, nonne mirum in modum inter se pugnant? Tabulae partes ita in effectu sunt positae, ut nil magis te capiat. Mihi tamen lubet illud κατέτον, cum Rigutinio, vertere «stupide», quam cum latino interprete, «dimisso vultu»: id sane feliciter illam maledici animi lentitudinem exprimit, quae indolentiae prope est. Ut enim in conviciatore ac famigerato homine nullus pulchritudinis atque honestatis amor, ita nullus pietatis sensus, nullaque lacrymarum vis! Achivi, utut indignantes, de eventu suaviter rident et plausibus Ulyxem ad astra tollunt. Alius alium sic alloquitur:

Ὥ Πόποι η δὴ μυρί· Οδυσσεύς ἐσθλὸς ἔοργεν θουλάς τ' ἔξερχουν ἀγαθάς πολεμόν τε καρύστων· νῦν δὲ τόδε μέγ' ἔριστον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν, δε τὸν λαβητήρα ἐπεσθόλων ἔσχ' ἀγοράων. οὐ θήν μιν πάλιν αὔτις ἀνήσει θυμὸς ἀγήνωρ νεκτείνειν βασιλῆς ὄνειδείοις ἐπεεσσιν.

(v. 272-277).

Hic narratio finem habet neque amplius Thersitae mentio est.

Quid autem de Thersitae apud posteros fortuna?

Tam pestiferi hominis, quem ab Achille sibi procaciter conviciantem pugno interfecit fuisse tradunt, perpauca vetustioris aetatis testimonia exstant omniaque in unum coniurasse videntur, ut eius exsecrabile nomen silentio et oblitione obrueretur. Praeter ea quae apud Homericum legimus et interpretati sumus, nil fere de Thersite constat; neque ipsa fabularis historia, cuius est discordia componere et quae taetra sunt, falsa veris remiscendo, verbis exornare, in eum benignior fuit. Cur? Quia numquam defuere, neque deerunt Thersitae exemplaria. Lurida detractorum soboles, Diis iratis genita, nulloque peritura aevo, in humani generis poemam, velut hydra multiplie renascens vertice vigebit semperque pullulabit. Quapropter mos obtinuit ut, eum hominem vehementer foedum significare velimus, θερσίτειον βλέψυν, idest Thersitae faciem eum habere dicamus. Quo sensu accipienda quidem sunt quae de Thersite leviter notant Ovidius (*Rem. am.*, v. 482; *Metam.* XIII, v. 233; *Ex Ponto* III, 9, 10), Seneca (*De ira*, 2, 23, 3) et Iuvenalis, qui Pontio auguratur:

Malo pater tibi Thersites, dummodo tu sis  
Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,  
Quam te Thersitae similem producat Achilles.  
(Sat. VIII, v. 269-271).

Seilicet ut pugno maledicium hominem finias, ne cui sua loquacitate increscat!

Satis de Thersite. Quod ad Homericum attinet, antequam huic narrationi finem imponam, iterum praestat duo animadvertisse: in Homeri carminibus maximam comicam inesse vim, atque poētam, nonnullis locis, ad bonos mores instaurandos, eo respexisse, ut continua translatione uteretur; alterum patet ex *Iliadis* lib. I,

v. 599 (ξεβεστος; (1) δ' ἔρ' ἐνῷρτο γέλως; etc.), cum Ephestus, claudicans, diis nectar ministранs, Caelieolūm risum suscitat, unde vulgata illa locutio: *il riso omerico*, quod est «immodice eachinnum tollere»; alterum constat ex Therseitae loci interpretatione, quam argumentis premere minime opus est.

His dictis restat ut ex assidua veterum scriptorum lectione pulcherrima vitaeque idonea sapientiae documenta, quae inde veluti ex fonte manant, in nostrum usum conferamus; quae litterarum, tum graecarum, tum latinarum maxima utilitas est:

. . . . . exemplaria graeca  
Nocturna versate manu, versate diurna.

Verum, ut ex re aliquid effici cogique possit, amice lector, id unum te monitum volo: esto in omnes benignus, Thersitae exemplaria cave! Intelligenti pauca! . . . . .

. . . . . Ne me Crispini scrinia lippi  
Compilasse putas, verbum non amplius addam.

Serib. in Portu Romatino,  
Kal. April. MDCCCCIII.

MARCUS BELLI.

#### DE QUIBUS DAM GRAECIS PAPYRIS RECENS AB AEGYPTO COMPARATIS.

PAPYRA in Aegypto reperta nuper esse quamplurima, eaque graece conscripta, satis constat inter doctos, et missos illuc viros, qui et nova conquerirent, et conquista modo dato pretio compararent. Italica Societas, cui cordi est ac muneri priscarum alere et amplificare studia litterarum, pecuniae et ipsa vim decrevit haud exiguum, qua plura huiusmodi empta sunt, inter quae mutuatae pecuniae stipulatio illa pulcherrima per Florentinum commentarium *Atene e Roma* fasciculo XXVII vulgata, de qua in *Voce Urbis* satis amplam notitiam suo tempore dedimus. Hieronymus Vitelli, graecarum litterarum in Italia facile princeps, qui in monumentum illud seitissime tradens incubuit, in Aegyptias regiones deinde migravit, ut inde recentia referret, et quae invenit, quae patriae comparavit, exposuit in coetu illo universarum gentium de historicis rebus Romae nuper habito. Cuius quidem expositionis Vitelliana compendium facere, viri eruditissimi vestigiis haerentes, operae pretium ducimus, idque eo magis, quia, aut fallimur, primi *committimus pelago ratem*.

In iis itaque, quae Vitellius collegit, litterarum profecto parum; quippe fragmenta nonnulla sunt e versibus, a 397 ad 408, itemque a 411 ad 422 III libri *Iliadis*, pulcherrimi olim papyri exiguæ reliquiae, II post Christum saeculo tribuendae. Frustulum denique, «opistographum» quod nunenpant, fragmenta habet epici poematis, ceteroquin ignoti auctoris, et ignoti argumenti. Contra nonnulla sunt (de fragmentis heu! semper est sermo, quae tamen centum ferme numerantur), e quibus certum eluet, quid de administratione, quid de rustica industria, quid de conditione agricolarum in

(1) Appositum hoc ξεβεστος, etsi Platoni indecens visum est (*De rep.* III), tamen, ut notat Dübner, conveniens putabimus, si temporum indoles spectetur, quo tempore risus simplex, ut et religiosis fides, erat. Vide etiam SCHILLER, *Die Götter Griechenlands*.

regione I  
Chr. saec  
tuto est.

Plerae  
tera Alyp  
perioribus  
paratis m  
Teadelph  
adventu, c  
ditaret»,  
calefacien  
usus quaes  
doeuerat.  
ut sua alia  
ut porelli  
idoneumqu  
herus comi  
terea prae  
pisces opti  
in his epis  
ad monoch  
laudabimus  
Heraidi ce  
ίττεται γεν

Aliae ep  
mina Apoll  
que tradunt  
Christum s  
Arsinoitis e  
Teadelphieia  
est stipulati  
gusti XI an  
dem emptio  
nulla anim  
gypti praefer  
rum, omniu  
fit mentio tr  
publico agi

Ab Herm  
cumenta pap  
ferentia aet  
animadversi  
tione aedium  
exemplari r  
fecto – quea  
redintegrent  
pyra, quamv  
sunt actoru  
vicerum ec  
nunt, qui pu  
coaeva Galli  
p. C.). Duo  
pido Εχούς,  
δεσμοφυλακ  
όντως εύπορο  
non modo o  
nomen adhu  
immo et g  
fragmenta.  
minos oppid  
stratego vie  
offerunt ἐργ  
simile iis  
habemus.

Ad Anti  
pertinent q  
nium penes  
euli finem;

(1) Cfr. Wili  
torius, n. LIII

regione Nomos Arsinoitis, dimidiante III post Chr. saeculo, sit iudicandum; aetas enim in tuto est.

Pleraeque ex hisce epistolae; quarum in altera Alypios ille, de quo una cum Syros in superioribus papyris a Florentina Societate comparatis mentio fiebat, Heronimon *phrontisten* Teadelpheiae compellabat, monens de proximo adventu, et hortans ut « balineum tepenti aqua ditaret », ut, « quas maxime possit, paleas ad calefaciendum colligeret »; paleas autem hosce in usus quaeasitas in *Ostraka* Willkenius nos antea docuerat. Monet insuper se « permansurum diu, ut sua alia rura, quae circum, invasit, et mandat ut porcellum tamē paret, qualem opportunum idoneumque iudicet lauto convivio, in quo ipse herus comitantesque hospites discubant ». Praeterea praecepit de piscatoribus mittendis, « qui pisces optimos grandesque adducant ». Saepe in his epistoliis de negotiationibus vini agitur ad *monochōra*, *dichōra*, *trichōra*. Numquid non laudabimus hominem, qui vetulæ nutrici suea Heraidi certas vini *monochōras* dono largitur? Ηραὶ γενομένη τροφὴ!

Aliae epistolae, diversa tamen docentes, nomina Apollonios, Klandios, Serapionis, aliorumque tradunt, quae tamen IV non exceedere post Christum saeculum videntur, neque a Nomos Arsinoitis et Hermopolitis finibus demigrare. Teadelphiana (nunc ex oppido Harit) omnino est stipulatio, qua agri locantur, Hadriani Augusti XI anno (CXXVII post Christum); et indidem emptio-venditionis adstipulatio circa nonnulla animantia; praeterea supplex ad Aegypti praefectum libellus; aliud denique papyrus, omnium iudicio maximi habendum, in quo fit mentio tributi μονοδεσμίζεται γόρτου, deque agro publico agitur.

Ab Hermopolitana regione alia quoque documenta papyracea produnt, Caracallae Augusti ferentia aetatem, et in iis quoddam est dignum animadversione singulari, cum de commutatione aedium pactio sit (ἀντικαταλλαγή), duplo exemplari redacta, ita ut – idque novum profecto – quae tempus in altero absumperit altero redintegrentur. Inde etiam adventant alia papyra, quamvis male mulcata saeculis. Fragmenta sunt actorum solemnium magistratus: modo vicorum comarchae stratego coram eos ponunt, qui publica cupiunt munera obire; sunt coeva Gallieno Augusto (ann. CCLIV-CCLXVIII p. C.). Duo ex iis ostendunt comarchas ex oppido Εξούς, exhibentes τὸν ὑπογεγραμμένον εἰς δεσμοφυλλάκιν τῆς ἐν τῷ μητροπόλει εἰρητῆς ὄντα εὔπορον καὶ ἐπιτήδειον, etc.; unde patet non modo quid ab hoc tributo feratur, sed vel nomen adhuc incertum firmatur (1). Nonnihil, immo et grande, praferunt huiusmodi alia fragmenta. Duo enim inducent comarchas geminos oppidi, seu vici Synomb..., qui coram stratego vici Hermopolitani, Aurelio Origeni, offerunt ἐργάτας εὐθετούς καὶ ἐπιτηδειούς. Nec simile iis usquam, quod sciam, documentum habemus.

Ad Antimopolim demique et Hermopolim pertinent quamplurima folia, seu frusta, solemnium penes magistratus actorum, circa IV saeculi finem; cuius temporis singula, quae geren-

darum in Romano Imperio rerum ad administrationem attineant, pluriimi existimantur. Neque desunt ea, quae saeculum II et III spectent: acceptilations, indices legitimi seu solemnes, contractus. Huiusmodi illud est (anno p. C. CLXXVIII) a Ptolemaide Everete adveniens documentum, quo Hermeros asinam « feminam, adulam, sine vitiis », – age, bene-moratam! – vendit; mirabile quidem animal, quod progredivente scriptoris calamo, in masculum mutatur.

Haec et alia puleherrime Vitellius cum enumerasset, finem dicendi sibi imposuit his verbis, quae tachygraphorum morem sequuti ad amissim depropnsim in fine scripturae nostrae ipsi relaturi: « Haec in ea tempora cum venerint, quibus iam facta sit nobis copia legendi carmina Timothei, et brevi licebit in scaenam etiam *Colax* illius Menandri incumbere, et in nobilia multa praecedentium aetatum, quae tum ad solutam orationem, tum ad poesim Hellenicam pertinent, fortassis minima haec quae congregavimus et haberi possunt, et quibusdam videri. Sed quamvis exigua collectio sit, snum tamen saxum, et caementum, ut aiunt, honeste ad notitiam rerum, quae tunc in moribus, in arte, in consuetudinibus erant, adducet; excitabit insuper desiderium, quo acutius et argumentosius particeps harum Italia rerum fiat; impellet insuper fortasse aliquem e civibus nostris, ex illis, nempe, *quos aequus amavit Iuppiter*, ut, avaritia omni abdicata, modum viresque donet, quibus ratione certa quaeramus, et persequamur assidue ac perscrutemur sacrum Aegypti solum; iuvabit saltem ut adolescentes nostros in studia et investigationes impellamus, quae XX saeculi optime philologicas disciplinas cumulabunt ».

FORFEX.

## VER VITAE.

*Lux prima facta: lux tibi,  
Iubar serenum sic, puer,  
Ridet, puella, te fovet.  
Fugat nec umbra pallida  
Caelestis luminis iubar:  
Perambulata tempora  
Nondum ferunt caliginem.  
« At nubilosa cum senis  
Tenaciorem vi notam  
In fronte ruga presserit,  
Damnum pudendum suffero,  
Privatus omni sidere,  
Frusta remensus orbitam. »  
Candente sic die queri  
Soles crebraque nenia  
Ver clamitare, non reddit!  
Homuncle, vae, parum sapis.  
Haec sola namque verior  
Mi crede, vita, si Pater  
Lucem det intus, det novam,  
Qua si fruaris vivida,  
Molestiae cedunt senis.  
Hoc velle pulchritudinem  
Genae rubentis, hoc puto  
Monere verna tempora.  
Iuventa non est corporis:  
Sublime mentis est decus!*

Scrib. Mendibusii

V. HERTEL.

## DE LATINA ELOQUENTIA

IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI (1).

**E**XUNTE saeculo decimo septimo, rex Carolus Emmanuel IV, vir singulari virtute et pietate praeditus, lacrimabili exitu, procul a patria atque ab avorum sede ivit exsulatum.

Subalpini, rege suo orbati, per quindecim et amplius annos fuerant sub gallico dominatu. Tamen etiam illis temporibus reipublicae difficillimis, litterae latinae magno in honore fuerunt apud nos, et Magnum Archigymnasium, mutato nomine, perpetuum ingeniorum fenum edidit. Verum, si de litteris latinis modo esset sermo, quod praesertim ad rem nostram pertinet, hoc unum addiderim, postquam Vigus fato cesserat, accitum fuisse Margagnanum quemdam, latini ceteroquin sermonis doctissimum, qui tamen hand potuit ad sui antecessoris famam neque ingenio neque scriptorum celebritate adsurgere.

Eodem tempore, quamvis nostri perpetuis bellis esse viderentur a studiorum tranquillitate abstracti, multi tamen inter Subalpinos extiterunt, litteris potentes ac praelario ingenio, quos pudor esset silentio praeterire. Inter quos Prosperus Balbus, vir patricia nobilitate celeberrimus, litteratorum hominum huiusc aetatis praesidium et deus, qui, auctore Napoleone, lycei imperiorum praeses est renuntiatus. Hic sapientem animum a natura sortitus, doctrinæ elegantiam, admittente praesertim Ioanne Bogino, summo viro, regnique administro, domi summo studio accepit. Verso postea civitatis statu, quum fortuna omnia apud nos miscere coepit, in Romanorum iurisprudentiam et commune gentium ius adolescens alaceriter incepit.

Mox in intima civili scientia sic est versatus, ut incrementa aetatis suae scriptis referret, italicica et latina lingua ita doctus, ut in utroque sermone scriberet pure et diligenter. Magnis familiaritatibus clarus, et ipsi Gallorum imperatori, ob plurimum ingenii cultum acceptus, memorabilem operam in promovendis nostrorum studiis posuit. Ipse, regum veluti vestigiis insistens, atque in aliorum virtutibus aestimandis aequus, complures ad scribendum impulit. Quos doctrina ingenioque ornatos novisset, hos amicitia sibi devinciebat. Hinc factum est, ut hisce praecipue adiumentis, vel sub externa dominatione, non tenuis quidem e studiis rivulus in Taurinensem urbem influxerit, sed abundans omnium disciplinarum.

Quo facto elegantissimus fuit latinae linguae ornatus, et praestantissimi oratores, poëtae atque historici praesertim floruerunt, qui hanc aetatem illustrarunt.

Maxime laudandus Iosephus Matthaeus Pavessius, domo Chorio, qui praeter alia, *Carminum latinorum specimen* in vulgus edidit, in rem suam nativum Tibulli candorem derivavit, atque suavem animi sui effigiem versibus insculpsit. Eius enim scripta, iucundo quodam sententiarum nitore commendantur et in affectata illa sermonis simplicitate, qua fit, ut carmina ex illius ingenio nullo prorsus labore fluxisse videantur. Sit in exemplum elegia, quam in obitu Henrichettae Balbi feminæ

(1) Cfr. num. X.

(1) Cfr. WILKEN *Ostraka*, I, 177; GRENFELL et HUNT, *Fayām topon*, n. LIII.

clarissimae illaerymans exaravit. Ipse Prosperus Balbus ad uxorem alloquitur:

*Ergo erat in fatis supremo ut munere mortis  
Donarem, et mutum te alloquerer cinerem?  
Me decvit morti prius occubuisse: superstes  
Tu mihi debueras, sponsa, dare inferias!  
Suscipe nunc, coniux, si quid post funera sensus,  
Debita dilectis manibus officia!*

Sed prae eunetis est immortalitate dignus et cum omnibus eiusvis aetatis insignibus viris comparandus. Thomas Valperga Calusius, de quo fusius commodiusque me dicturum esse confido.

Hie, maxima nobilitate illustris (1), dominiis instructissimus, Augustae Taurinorum natus, opibus, atavorum gloria, magno nomine inelaruit. Puer illustre ingenium altioribus disciplinis domi imbuit; adolescens peregre in Melita insula hebraeas, copticas, chaldeas itemque arabum, et phoenicium atque aliarum gentium litteras, sola meditandi consuetudine consecutus est. Neapoli, divinitus se in religiosorum virorum familiam adiunxit, cui nomen est factum a Philippo Neri, patre legifero. Reversus in patriam, philosophiae, quam semper enixe excloquerat, studium auxit.

Romae, principum virorum, ac praesertim Stephani Borgiae et Caroli Albanii consuetudine usus est, quorum domus, pulcherrimis artium monumentis referta, maximeque hospitalis, eruditis sermonibus florebat, Morelli, Cunicchii, Flanginii *Argonauticorum* Apollonii interpretis, et aliorum, qui Calusium magnopere observabant. Cum frater in Lusitaniam regius legatus ieret, Taurinum venit, ut illi se viae comitem daret.

Illic, animi causa, loci amoenitate adlectus, latinos hexametros composuit, ad vergilianum numerum expressos. Propertium mox nimis adamavit, ex quo doctior, at minus suavis visus est. « Intentior enim, – ut verba Caroli Boucheroni mutuer, qui eius olim erit disciplinae alumnus rerumque ipsius immortalis enarrator, – eura obfuit scribenti, in poësi praesertim, quae sibi amat relinqui, et artem quidem, sed latenter atque e longinquu comitem desiderat ».

Fluentes eius carminum delicias, nativa non adscita venustate nitentes maximis laudibus extulerunt acerrimi iudicii viri, qui cum Tibullo, et Propertio eum componere hanc dubitarunt, eumque locupletem aureae latinitatis auctorem, ac poetam suae aetatis longe venuissimum praedicarunt. Haec carmina ex elegia Agar nuncupata depromo:

*O puer immitti fato praerepte iuventae,  
Ceu flos aestivo sidere deciduus.  
Ipsi nunc saeva si spectare novercae  
Ipsa daret lacrimas saeva noverca tibi!  
Quae ridet nato nunc forsitan oscula figens,  
Nescia se nostrae crimen habere necis.*

Memorabilis haec Calusii in Lusitaniam peregrinatio fuit, ob initam tune primum cum Victorio Alferio amicitiam. Ipse popularem suum in laudis curriculum impulit. Inde nobilis illa exstitit necessitudo, quam uterque sanctissime coluit, et Alferius, parta iam nominis immortalitate, scriptis commendavit.

(1) Eius familia edita fertur ab Harduino, Italae olim rege, qui la bente saeculo christiano decimo Salassorum regionibus imperavit.

Ipse vero alumnos disciplinae suaे Taurini complures eruditivit, sed unum et alterum ad docendum habiles in primis fecit. Spectant haec novissima verba ad Amadeum Peyronum atque ad Carolum Boucheronom, quorum alter interiori philologia litterisque orientalibus inelaruit, alter, elegantior et comptior, latinas litteras sic arripuit. coluit et tradidit, ut omnes, quos antea memoravì, sit supergressus.

SUBALPINUS.

### IUSTUS LIPSIUS.

DE Iusto Lipsio, litterato viro saeculi XVI celeberrimo pariter atque eruditissimo, dictuos nos brevi promisimus, cum de quaestione circa rectam latinæ linguae pronunciationem late in commentario nostro agitata, grave eius testimonium induximus: attamen quae contigerunt novissimo tempore, de provehenda latinitate negotium, ad hunc diem differre nos coegerunt, quo susceptis officiis libere accedimus.



Iustus Lipsius.

(Ex tabula Pauli Rubens in Florentina pinacotheca asservata).

Itaque summam vitae eius exhibemus, quamquam ita breviter, ut vix tanti viri aliqua commemoratio fieri lectoribus videatur.

Lipsius nobilissimo genere XV kal. Nov. a. MDXLVII ortus est in Iscano municipio, quod tertio lapide a Bruxellis distat, urbe Belgaram capite, itemque a Lovanio, veteri illo Musarum domicio.

Sex annos natus Bruxellas in ipsam civitatem cum parentibus migravit, ut studiis litterarum in triviali paroeciae, uti nuncupabant, Capellensi schola iniiciaretur, in qua adeo promptum ingenium puer ostendit, ut praceptor, parvulum genibus impositum, et sic pensa recitante, aliis in aemulationem atque exemplum monstraret.

Annum agens decimum, Athum, Hannoniae oppidum, a parentibus ablegatur; ubi praecepta grammaticae didicit, magno quidem fructu, quum biennio exacto Carmen ibidem cooperit scribere. Anno tertio Coloniam Agrippinam, ingenii animique excolendi causa ad gymnasium Societatis Iesu mittitur, ibique doctissimis magistris ita usus est, ut brevi orationes seripserit et habuerit. pueriles quidem, sed quas gravior etiam aetas in illa aetate laudaret. Nec destitit

postea, sed suae specimen eloquentiae non uno loco dedit.

Ceterum philosophiae studia iam inde a puer Lipsio placuere; quin imo dicitur peccare iuvenili quodam ardore visus esse et fraeno fuisse coerendus, ne illa mentis intentio in valetudinis detrimentum eederet. Sub id tempus, pietas adolescentis peccus tetigit, qui Societati Iesu nomen dedisset, ni parentes Lovanium evocassent. Ibi philosophiae insistens, physice quoque in gymnasio Castrensi aliquando audivit, et iurisprudentiam libavit. Tum pater, praetorio Bruxellensi praefectus, fato ei eripitur, ae mater, quae non magni patrimonii liberorumque suscepit tutelam, eum rursus Bruxellas adduxit: brevi tamen, nam ex hydrope mulier non diu post obiit.

Annum tune fere decimum octavum Lipsius agebat et iam non semel experimentum sui eximium publice dederat. At sequenti anno aliquid addidit praetulo tradens *Variarum lectionum opus*, quod etsi tirocinium ingenii sui vir modestissimus appellavit, fuit tamen aditus ad famam, primusque gradus ad gloriam, et ad exsplendum animi sui desiderium Romanam peragrandi. Venit itaque in Parrenoti domum, summa benignitate acceptus, et ad studia nova tractanda non incitatus solum, sed ab erudito patrono etiam liberali ope adiutus. Erat a latinis illi epistolis; sed otium et omne liberum tempus dabat inspectioni lapidum locorumque vetustorum, ruderum ac monumentorum. Idem in Vaticana biblioteca Senecae, Taeiti, Plauti, Propertii aliorumque veterum libris manu scriptis invieem comparandis longos dies consumpsit. Lustravit quoque Farnesianam, Sfortianam aliasque illustiores bibliothecas cum publicas, tum privatas: tunc etiam temporis in familiaritatem venit M. Antonii Mureti, Paulli Manutii, Fulvii Ursini, Caroli Siganii, Petri Victorii, aliorumque historieorum ac philologiae doctorum, qui in Urbe florebant.

Lovanum reversus, mox peregrinationem in Sequanos indeque in Germaniam instituit: fuit Vindobonae, ibique in aulam Maximiliani II Imperatoris exceptus, familiaritate virorum doctissimorum non brevi tempore usus est; peragravit Bohemiam, Misniam, Thuringiam et vicinae Saxoniae loca. At bellorum perturbationibus coactus in Belgicam redire, Ienae annum transegit, ubi docere primum ex cathedra coepit.

Sed rebus in Belgio paullulum pacatis, Coloniae Ubiorum uxorem duxit Annam Calstriam, e patricia domo viduam, et *Antiquas lectiones* conscripsit, illustravitque Tacitum atque Cornelium. In Iscanum deinde migravit, ut vitam reliquam ruri ageret; at innovato civili bello, iterum militari licentia compulsus est ad urbem Lovanium redire, ubi iurisprudentiae vacans lauream in disciplina liberalissima est consequutus. Attamen a foro et a republica vir semper abstinuit, quamquam, – ut vitae eius scriptoris coevi utar verbis, – voce et stilo sic universis profuit, ut non unius republicae, sed totius generis humani euram gessisse videretur. Lovanius *Epistolicas quaestiones vulgavit* atque in Titi Livii *Decades* et in *Leges regias et decemvirales* multa animadvertisit.

Eece autem iterum circumstrepit bellum; ipse vagatur, donec Lugduni in Batavis domicilium

posuit, ubi sibi dedit in imperio ad ludos et sibi libros, qui de rei comple addidit.

At revocatus blicas calamitas constantia librum stolas suas ad apertos aequalium mittens *Epistolas* iuventutis. Tunc Velleum Paterbus illustravit, *latinæ lingua* reto habuerat, *de una religione* quantam iis traverit; eum runt. Itaque ipse secessit, aegri gosi eriminis, inseius, inciderat Romanae gratia.

Etsi autem a mania habebat, vicit patriae studi, ubi Brabantia commentarios per *ricam* deinde e Romanorum Gravis res totidem excepens primad *militiam* facienda scripta his titulis *renissimos Belgicus, Exempla* vero aetate, evit libros, *Manuductus* praeposuit.

Anno MDCV prouti invenio – aeger factus, evit studiis omnibus pararet, quam pro media, annum quagesimum.

Aequales eius publicae litterae putarunt; cuique agatur, facile possumus stilum latinum, scriptis iuvenili videtis – obscurum.

### PETRUS

Speluncam, clymae suburbio Carolus Dolei. E negatum Homini discessisse? Hec dos rupium silvae Redemptori non quippe ad passum lectus, gradus si-

uentiae non uno  
ia iam inde a  
mo dieitur pec  
sus esse et fraeno  
is intentio in va  
Sub id tempus,  
it, qui Societati  
s Lovanium evo  
sistens, physieen  
aliquando audi  
Tum pater, praef  
fato ei eripitur,  
atrimonii libero  
rurus Bruxellas  
hydropo mulier

octavum Lipsius  
imentum sui exi  
enti anno aliquid  
*in lectionum opus*,  
ui vir modestis  
ditus ad famam,  
et ad explendum  
peragrandi. Venit  
nma benignitate  
a tractanda non  
o patrono etiam  
atinis illi epist  
m tempus dabat  
que vetustorum,  
dem in Vaticana  
Plauti, Propertii  
anu scriptis in  
lies consumpsit.  
Sfortianam alias  
um publicas, tum  
is in familiaris  
Pauli Manutii,  
Petri Victorii,  
ilologiae docto

egrationem in  
n instituit: fuit  
Maximiliani II  
ate virorum do  
usus est; per  
Thuringiam et  
rum perturbatio  
e, Lenae annum  
cathedra coepit.  
a pacatis, Colo  
nam Calstrjam,  
*tiquas lectiones*  
um atque Cor  
gravit, ut vitam  
to civili bello,  
usus est ad ur  
udentiae vacans  
ima est conse  
ublica vir sem  
vitae eius scri  
stilo sic uni  
cae, sed totius  
videretur. Lo  
gavit atque in  
*regias et decem*  
it bellum; ipse  
vis domicilium

posit, ubi *Satyræ* illi Menippaeae operam dedit in imperitos criticos coniectae; a turbis ad ludos et spectacula conversus *Saturnalium* libros, qui de *gladiatoribus* sunt, edidit, atque ad rei complementum de *amphiteatro* nonnulla addidit.

At revocatus cito ad graviora, tot inter publicas calamitates, Ciceroniano stilo de *constantia* librum confecit; cumque accepisset epistolæ suas ad amicos vulgari passim, eas, exemplis aequalium insistens, volumine collegit, praemittens *Epistolam institutionem* ad commodum iuventutis. Tunc Valerium Maximum, Senecam, Velleium Paternulum notis et animadversionibus illustravit, atque dialogum illum *De recta latinae linguae pronunciatione*, quem cum Mureto habuerat, praelo commisit. Edidit quoque de una religione libellum, qui vix dicere est quantam iis temporibus ipsi invidiam comparaverit; eum enim publice de haeresi accusarunt. Itaque ipse Bataviam deseruit, in Eburones secessit, ac deinde Maguntiacum, ut religiosi eriminis, in quod vere, quamquam fortasse inscius, inciderat, sese purgaret, et in Ecclesiae Romanae gratiam poenitenti animo reverteretur.

Etsi autem amici, quos multos passim in Germania habebat, eum passim ad sese invitarent, vicit patriæ studium, ac Lovanium iterum rediit, ubi Brabantiae ordinibus gratus suos de *Cruce* commentarios paulo post dicavit. *Faciem historicam* deinde conscripsit, de memoris veterum Romanorum Graecorumque, cuius deinceps operis res totidem in capita melius distribuit, excepens primum ex omni eumulo quidquid ad *militiam* facere videbatur. Secuta sunt alia scripta his titulis: *Dissertationula apud Serenissimos Belgicae Principes*, *Plynit panegyricus*, *Exempla et Monita politica*. Fatiscente vero aetate, evulgans rursus Annii Senecæ libros, *Manuductiones ad stoicam philosophiam* praeposuit.

Anno MDCVIII e tussi, gravissimisque – prouti invenio – stillantis cerebri defluxionibus aeger factus, cum morbus in dies ingravesceret, studiis omnino valedixit ut se unice morti pararet, quam piissime obiit X Kal. April., nocte media, annum aetatis agens nonum et quinquagesimum.

Aequales eum cum Scaligero et Casabono re-publicae litterariae triumviratum obtinere reputarunt; cui quidem iudicio, si de sapientia agatur, facile possumus assentiri, non vero circa stilum latinum, qui si Ciceronem redolet in scriptis iuvenilibus, deinde paullatim – ipsi videtis – obscurior factus est satisque involutus.

I. ANTONELLI.

### PETRUS LACRIMANS.

Speluncam, quam videtis, certe ex Hierosolymæ suburbio libera mente effingere studuit Carolus Dolei. Petrum enim poenitentem ob delegatum Hominem Deum, quo longissime putas discessisse? Heic igitur inter anfractus horridos rupium silvarumque lacrimans apostolus, Redemptori nostro præ ceteris carissimus, quippe ad pascendum mysticum gregem adlectus, gradus sistit infirmos. Numne illum esse



Caroli Dolci tabula Petrum lacrimantem referens.  
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

credas, qui iam in olivarum horto gladium vibrans percussit Pontificis servum, pugnam commissurus cum universa turba sine metu mortis? En fragilis, et ludibrio ventorum obnoxia hominum constantia ac fortitudo! Ancillæ ostiariae interroganti cessit Petrus, cessit metu irridientium qui minitantur arma non timuerat, atque vanam ostentationem virtutis eam esse misere expertus est, quae non demisso et subiecto animo a Deo auxilium exposcat.

At ecce Petrus flevit amare, quum gallum eantem audivit tertio, quem in summa rupe, quasi monitum oculis eius, pictor effinxit. Vultum angore et poenitentia extenuatum, pallidum gerit Domini primus discipulus: oculi vero caelum suspiciunt, obsecrantes suavissimam pietatem et deprecantes ut misello homini parcat, qui iterare illud videtur: « Domine, tu scis quia amo Te ». Et quo pacto Ille, qui Mariam e Magdala absolvit quoniam dilexerat multum, Apostolum respueret tanto ignis ardore plenum?...

Hos sensus, has voces arte sua peritissimus ille adiutus, sed pietate viva præsertim motus

et incensus, reddere Carolus Dolcius pietis lin  
teis valuit et exprimere: has nos, non tam  
gaudio suspicienda pulchritudinis perfusi quam  
saluberrimo erecti documento, demiramus me  
ritisque laudibus prosequimur.

LAElius.

### QUID OLIM (CENTUM ABHINC SAECULIS)

IN PERSIDE? (1)

Quaenam vero fuit Susorum urbs? Duplex; co  
dem tamen edita loco, haud aliter ac si, quae  
nunc est a Romulo, quartam Romanam nunc  
paremus: nam et prior in Ianiculensi a Iano,  
et altera in Capitolino a Saturno, et tertia in  
Palatino monte ab Evandro (2), et quarta ibi  
dem a Romulo condita est. Quibus autem diebus  
prima illa Susa aedificata sunt? Quis primus  
huius urbis rex? Fateri veritatem candide pla  
cket. Ignoramus hactenus exordia. Quod unice

(1) Cfr. num. sup.

(2) VERA., Aeneid., lib. VIII.

seimus hoc est: Assurbanipal, qui (ante Chr. DCLXVIII-DCXXVI) duos et quadraginta super Assyrios regnavit annos, laudes canit Susiani regis Kutru Naenunte, narratque hunc Susis obtinuisse imperium anno MDCXXXV antequam ipse Assurbanipal rerum potiretur, sciaret, ante Christum natum anno MMCCCIII. At Sardanapalus (inepertum mihi nunc utrum hic nomine fuerit, qui et Assarhaddon, et Enpacne, et Tonos Concoleros dieitur, vel II Sardanapalus, qui et Ful, seu Phul nuncupatur, vel, ut conveniat tempori, Sarah seu Chinladan habendus sit), haec atrocia marmoribus eredit: « In meam regionem (Assyriam) Assur vel pulverem Susorum deduxi. Mense integro ac die totam, quanta est, regionem Elam everrens, agros eius quavis hominum voce, quavis voce armentorum, boum, peundum, quovis musicae sono privavi. Deserta reliqui omnia, bestiis, serpentibus, feris, damis tantummodo inhabitanda ». Exterminium ergo ingens Susis fuit; neque Susis modo, sed oppidis, sed pagis, sed urbibus quotquot erant in Perside, sive Ebaetanam dicas, sive Persepolim. Num ulti sunt avos, acceptaque reddiderunt?...

Minime mirandum igitur est si implacabili odio arserint Medi Persaeque in reges Assyros, et opportunitate capta, collatis viribus ad qua-

dringenta circiter hominum millia, sublata iam Ninive, a Nabopolassar Babylonis rege (anno DCXXV ante Chr. circiter) in suam potestatem reducta, Cyro due Persarum in Babylonem irruerint, et, Euphrate amne dimoto ab alveo, noctu in immensam urbem ingressi per aridam fossam ad internectionem saevierint. Ultio erat, et quidem iusta pro calamitatibus, quas inde suscepserant. Pepercere tamen aedificiis, domibus, monumentis; nescio utrum templis, neene pepererint, quum seiamus ab historicis quid in templo sentirent, qui sacrilegium arbitrabantur Superos parietibus includere, atque ideo Xeres fana, templa Graecorum omnia subvertit. Haec autem post reddita Assyriis Susa, nescio quo fato repente iterum assurgunt, brevique talia fiunt, ut non modo pristinum splendorem recuperent, sed longe magnificentiora prioribus effulgeant. Profecto credendum est Cyro hanc fuisse mentem ut Susianos omnes, quotquot reliqui de progenie erant, domum remitteret, regisque Babylonis opibus ditans, restaurationem promoveret ac proveheret, quam Iudeis Babylone degentibus concessit, tum ut fausta pro infaustis rependeret, tum ut sibi conciliaret gentium animos, tum ut odia restinguaret inter exsules, extores patriae, spoliatos omni re, et Assyros, in-

colas Babylonici pagi. Et re quidem vera maximum illud fuit si, tribus nondum omnino saeculis elapsis, non modo Susa, quae florentissima iam urbs habebatur, regibusque Achemeniis deliciosa, sed Persepolis, sed Ecbaetana tantum instar assequatae sint, ut ferme prodigium putentur, siqua fides habenda historias, qui de illis memoriae prodiderunt. Quinti Curtii Rufi locum inducam, ut manifestum sit subita prodigia, quae nostra aetate ad Neo-Eboracum, Chieginem, S. Franciscum in Americae miramur, nova prorsus in historiis non esse, sed vel iam ab inde in Perside locum invenisse (1): « Iamque Susa aditur (ab Alexandro). Abulites regionis eius praefectus, sive Darii iussu, ut Alexandrum praeda retineret, sive sponte, filium obviavam misit traditum se urbem promittens... Ut vero (Alexander) urbem intravit, incredibilem ex thesauris summam pecuniae gessit. Quinquaginta millia talentorum argenti, non signati forma, sed rudi pondere. Multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant liberis, posterisque, ut arbitrabantur, quae una hora in externi regis manus intulit! Consedit deinde in regia sella, multo excelsiore quam pro habitu corporis, etc. ». Neque idem

(1) Q. CURTIUS RUFUS, *Historiar.*, lib. V, c. VIII.

1]

## SATURIO.

Comoedia latinis versibus conscripta  
et in tres actus distributa.

### PROLOGUS (1).

Cupit poeta vobis me esse prologum.  
Quid est? Malignis oculis me adspicitis,  
Ego quod ausin vobis nescius loqui?  
Erat mirandum lapsis hoc temporibus,  
Semel cum nobis licebat aut iterum  
Loqui puellis, ex sententia senum.  
Eis natura rerum sapientia!  
Ehu! quae vexatio non dignis liberis.  
Nunc euncta vorsa sunt susdeque gentium.  
Enim e repente, vel divina virgula,  
Rudes dicendi qui nos eramus modo,  
Magistri sumus vobis eloquentiae!  
Felix sie aetas nostra se fert hominum,  
Queis ab ipsis teneris ungueulis,  
Est in deliciis actitare publice,  
Versari in foro, loqui coram populo,  
Aduite nutricis est cum lac in labiis.  
Ego sed attamen contremisco puer!  
Et ut videtis nimis sudore difluo.  
At omnis vestrum fretus indulgentia,  
Queis est iuvenum dulcis aetatala,  
Laetus accedo vobis fidentissimus.

En argumentum paucis novae fabulae.  
Habet senex quidam in proximis aedibus,  
Gnatus, vocari cui Chremes perlubet,  
Dolens, ehu! nimis, frater quod Theuropides  
Tamdiu profectus ob merces in Atticam,  
Nihil iam mittat rerum vel pecuniae.  
Adest Callidorus, gnatus Theuropides,  
Ocellus patrui, diligit quem maxime.  
His super venit Caliphon cum filio,  
Vocat quos sibi Chremes in auxilium.  
Replet dum totas aedes ipse questibus,  
En Parasitus, qui personam simulat  
Hospitis fratris optimi Theuropides.  
Huic senex praebet auras promptissimus.

(1) CALLIDORUS procedet in scenam prologus prope orchestra.

Revivit ipse, gaudio vult parasier  
Amicis, hospiti, grande convivium.  
Hoc brevi personant aedes laetitia.  
At hunc, qui nomen novae dat comoediae  
Dum pulere rebus gestit confidentius,  
Gerens in aedibus personam Consulis,  
Ex improviso Theropides excipit.  
Dein quid accidat, vos expiscari  
Sinit poeta vestro pol arbitrio.  
Favete linguis! nobis et iuvenculis  
Lubentes animos, spectators, addite;  
Brevem dum pavidi proferemus fabulam.

### DRAMATIS PERSONAE.

CHREMES, frater *Theuropidis*.  
*THEUROPIDES*, pater *Callidori*.  
*CALLIDORUS*, filius.  
*SATURIO*, parasitus.  
*CALIPHO*, amicus *Theuropidis*.  
*PAMPHILUS*, filius *Caliphonis*.  
*DINACIUM*, puer *Chremetis*.  
*STROBILUS*, coquus *Chremetis*.  
*LYDUS*, alter coquus.  
*GERULUS*.

### ACTUS I.

#### Atrium.

#### I.

#### CALLIDORUS et postea DINACIUM.

CALL. Pater vult mittam puerum Dinacium  
Quaesitum senem, Caliphonem nomine,  
Semper qui nostras diligit res admodum.  
At ipse stertit involutus stragulus.  
Ehu! dixit, quidnam istuc? non luciscait adhuc!  
Sed ausentavi diu gallinacum.  
Nee si comparet ipse, vocabo denuo (1).  
Expergiscere tandem! Forte aeneus sopor  
Te cepit? Exis, an non, verberum caput? (2)  
DIN. (3) Heu! heu! nox est, here, ne hilum luceat!  
[quidem!] CALL. Quin surgis, quin huece tu properas, pessume?  
Vin' hodie in lectulo, tamquam in mortario  
Ossa tibi confundam?

(1) *Pulsat*.

(2) *Pulsat multo cum strepitu*.

(3) *Oscitans a somno, intus respondet*.

DIN. (1) Heu! heu! miseram mancipii  
Conditionem! En surgam, et lueernam adecedero.

CALL. Nil opus hocce. Pessum servorum genus,  
Eis si forte mandes quid sollicitus  
Millia causantur, modo sibi servant.  
Meus vero pater, dixerim quem reetius  
Patronum, multis diebus se se cruciat.  
Quot in laboribus noctu simul ac diu  
Ipse versatur! Imo maerescit plurimum.  
Enim quid venerit mali equidem nescio,  
Sed ecce paret puer, quam lentissime.

DIN. (2) Quid me vis, impera, tuus sum, ne dubita.

CALL. Ut prius tu frices refrigesque oculos,  
Quo esse certus te vigilare possim.

DIN. Vel nolens audiam, satis tu clamitas.

CALL. Pater vult eas illico, sine mora,

Vocatum senem, Caliphonem nomine.

Tenes iam nomen?

DIN. Teneo; novi hominem.

CALL. Scis quibus ipse maceretur molestiis.

Ab ipso namque sperat solatium

Suae qua premitur nunc aegritudini.

DIN. Ibo quod herus mihi sic imperat.

Amicos enim novi esse usque ad pecuniam.

Moestum cum viderint te, cuncti deserent.

CALL. Quid de Caliphone times, Dinacium?

*Amicus certus in re incerta cernitur*.

DIN. Amicitia non est pecuniaria.

CALL. Tace, scis, puer! Munus te quod addebet

Sine mora fac. Vide ne incusaveris

Hominem verbis malignis in posterum.

Vade nunc pedibus, puer, citissumis.

Suis in laribus namque audire videor

Ambulantem senem (3). Quid si deprehenderit

Te adhuc domi?

DIN. Liceat ne scire quid maceret

Nunc herum, semper fuit qui laetissimus?

CALL. Quid istae curas, minime quae te decent?

DIN. Enim moerentem taedet videre patrem,

(Potius est nimium taedium euriositas) (4)

CALL. Quid tecum mussitas, servorum pessume?

DIN. Ibo, ne clama, ne irascare, ne verbera.

(Ad proximum numerum).

### I. B. FRANCESIA.

(1) *Accedit ad fore, sed nondum exit*.

(2) *Exit perfricans oculos convexis digitis*.

(3) *Prodire in scenam ex tussi et baculi ictibus percipit*.

(4) *Aliovorus*.

Curtius minor  
brat (1).

Sed ne haec  
Non eadem pro  
sepoli contigeru  
dixi, in tenebris  
bem irruperem  
Arabia, praedon  
sit, qui funditus i  
rabiliter urbes e  
Mihi recte iudie  
dem invadentibus

At quidquid i  
mille et ultra a  
Susa, ita silvestri  
solitudine obsess  
vel qui proximi

Et tamen quib  
tis Lutetiae Paris  
tiores!; inter qua  
gis Naransin, qui  
ante Christum sa  
numentum vitor

(1) *Ibid.*, cap. XIII.

*Improbus est ho  
reddere nescit.*

6]

### SELECTA EX B

DE RECTA PRON

Damnat ecce ma  
nationem; sed nec ap  
tamen ita, ut non o  
Nam etiam post, in  
fuit. C. NUMONIUS  
nuscriptis est, item  
lapide: L. BETILIU  
ratione in Fastis et  
LIUS AHALA; an  
stra litigant viri do  
olim, ex ratione gen  
litum interponi saep  
mollieundum. Simile  
qui litteratores nota  
intersita, medecum  
vehemens, cum vera  
mihi hodie, quod n  
quod Alam valere,  
ad Brutum: « Quon  
ni fuga litterae  
eiusque duplice son

E me rogat et p  
plex est, arbitrari  
gnem ea divisa, ut  
duplex iterum in i  
indagem et observa  
Primum igitur E p  
enunciata, sed et s  
STUS FEELIX, in  
DAM SEEDES. Q  
iudice, illa quae ap  
cibus haesit. *Miel*,  
verbis prisca, et f  
fuit meel, feel. In  
etiam isto, quod e  
labas breves; nam  
Quae corrupta en  
e lapide (enim vero

(1) *Quinc.*, lib. I,

Curtius minora de divitiis Persepolis celebrat (1).

Sed ne haec ab itinere aberret oratio... Non eadem profecto cecidere Susis, quae Persepoli contigerunt; attamen Susorum finis, ut dixi, in tenebris latet. Numquid in tantam urbem irrupere Romani? Num barbari, qui de Arabia, praedones? Num casus ex iis intereesit, qui funditus incendiis, diluviis, contagio mirabiliter urbes exterminant? Ignotum prorsus. Mihi recte iudicare videor si Saracenis Persicem invadentibus excidium tribuero.

At quidquid in re fuerit, illud indubium est, mille et ultra ad nos annos loca, ubi fuere Susa, ita silvestribus dumis, squalore omnimodo, soliditudine obsessa, obruta, ut regionem ipsam vel qui proximi erant incolae nescirent.

Et tamen quibus et quot monumentis Elamitis Lutetiae Parisiorum factae nunc sunt opulentiores!; inter quae « stela » insignis Chaldei regis Naransin, qui vicit, triumphans, XXXIX ante Christum saeculo, hanc domi posuerat monumentum victiarum suarum.

G. P.

(1) Ibid., cap. XIII.

*Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, reddere nescit.*

(PLAUT. Pers.).

6]

### SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIIS.

#### DE RECTA PRONUNCIATIONE LATINA LINGUAE DIALOGUS.

Damat ecce manifesto hanc in scriptura geminationem; sed nec apices, ut videtur, agnoscit. Damnat tamen ita, ut non omnes iudicet illi fuerint audientes. Nam etiam post, in libris et lapidibus haec scriptura fuit. C. NUMONIUS VAALA apud Horatium in manuscriptis est, itemque in numinis; et Aletri legi in lapide: L. BETILIEONUS L. F. VAARUS. Ab hac ratione in Fastis et monumentis passim est: SERVILIUS AHALA; an recte et an non verius ALA, frustra litigant viri docti. Ego eos maneo AALA fuisse olim, ex ratione geminandi, quam dixi, et flatum solitum interponi saepe ad sustentandum, sive etiam molliendum. Simile est quod (1) mehe pro me antiqui litteratores notant, et mehecum, atque etiam dintersita, medecum. Nec ab alio fonte prehendo, yehemens, cum vera sint preendo, veemens; idemque mihi hodie, quod mi et mii antiquis. Ahalam quidem quod Alam valere, Cicero ostendit clare in *Oratore* ad Brutum: « Quomodo noster Axilla Ala factus est, nisi fuga litterae vastioris?.. De primo elemento eiusque duplii sono, satis.

VII.

E me rogat et prensat, Cuius enunciatio certo duplex est, arbitrario quadruplex. In exilem et pingue ea divisa, ut vocales omnes; sed, nisi fallor, duplex iterum in illa sonus et in ista. Acute haec indagem et observitem fortasse: quid refert, si vere? Primum igitur E pinguis enunciata ut EE duplex; enunciata, sed et scripta. In numinis legimus FAUSTUS FEELIX, in lapide BASILICAM CALECAN-DAM SEEDES. Quae autem haec pronunciatio? Me iudice, illa quae apud Gallos in plerisque latinis vocibus haesit. Miel, fiel dicunt pro melle, felle, ipsis verbis prisca, et fortasse germano sono; nam olim fuit meel, feel. In scriptura tamen peccarunt Galli, etiam isto, quod extenderunt, ut solet vulgus, ad sil-labas breves; nam bien a bene habent hanc stirpem. Quae corrupta enunciatio tamen iam olim, ut diceas e lapide (enim vero sculptores illi aut marmorarii ple-

(1) QUINT., lib. I, 2.

### DE PILARI LUDO

CUI NOMEN PELOTA.

Qui plures pilares ludos in commentario hoc illustravimus, de recenti mentionem facere haud inopportum duximus, qui in magnam gratiam non solum apud latinos populos, sed apud ipsos Germanos et Anglos his diebus venit.

Iberi attulerunt, praesertim nordici, qui montana iuga Gallium sinum prospicientia habitant, incolae moribus antiquissimis pariter ac rudibus, fortissimo robore corporis et valitudine incorrupta, qui a reliquo Iberis non tam incondito sermone et lingua, quam ignotis omnino originibus et inexplorato semine seiunguntur. Attamen, Iberorum regibus ab invadentibus Arabum copiis expulsis, tutum unum constituerunt refugium alpestria gentis loca in sua patriae finibus, quorum tecta armis vindicatio christiani nominis et libertas iberici regni paulatim germinavit, atque viribus aucta est ad patrum fortunam redintegrandam.

Et forte ab iis usque antiquissimis temporibus, decimum ante saeculum, pilari hoc ludo lusisse Cantabros eredamus. Ludus similis quidem ceterorum huiuscmodi; attamen prae ceteris praepes, agilis atque mobilis, nec vi

tantum brachiorum singularis et cursu, sed totius corporis dexteritate, et citissima velocitate. Nam harpasto certantes totis viribus luctantur; pugnant cursu qui follem expulsant sive tympano, sive pedibus utrem; « pelotarii » autem lusores gymnica omni arte et membrorum dexteritate contendunt.

Sed ex ipsa ludi ratione aliud habetur unde *pelota* suum sibi vindicet locum peculiarem. Quum enim in ceteris pilaribus palaestris, ubi sive manibus sive pedibus decertetur, ludentes bini aut turmatim concurrentes alii in alios pilas eiificant et remittant, pelotaria arena, ad rectanguli formam sternitur, cuius latera tria murus praefinit certa altitudine elatus; quantum patet. Oppositus autem murus qui ludentibus inserviat albo colore fucatur, si pilae sint nigrae; nigro, si albescant; certa denique linea seiungitur ludentium agmen, quod hinc et inde stat contra murum. Pila in parietem impellitur omneque studium in eo est, ne trans certam altitudinem in murum percutiat, neve a muro repulsa in terram decidat, neve in agmen aemulorum prosiliat. Ludunt omnes manu certo manubrio armata, (*chislera* appellant) magni ad instar cochlearii quo, tympani aut brachialis loeo, pilam iacent.

Facile conicitur, cum singulari celeritate

qui notat in here ultima neque E neque I plane audiri. Et ab hac incerta elatione, incerta item scriptura veterum, qui, eodem Fabio teste, quasi et quase, sibi et sibi promiseam scripsere (1). Sed et in lapidibus ab hac causa reperio NAVEBUS pro « navibus », EXEMET pro « exempti », ORNAVET, CEPET, DEANA, MERETO, SOLEDAS et alia plura. Praeter Fabium, Iulii quoque Caesaris Scaligeri - deus bone, cuius viri! ne vir sim ego, si acutius aut capacius ingenium inter homines fuit ab illo ipso Iuliano aevum Scaligeri, inquam, teretes aures etiam advertere: qui hoc ipsum in subtili scripto tangit *De caussis linguae latinae*. Ab eo nunc ».

— « Mane, mane paullum, — inquam ego; — de apice nihil hic doces? »

— « Dictum puta semel, — inquit ille. — Omnes longae congreginarunt, aut apicem sumpserunt, praeter unam. De ista quidem Terentianum Scaurum audi: « Apices ibi ponit debent, ubi eisdem litteris alia atque alia res significatur, ut vennit et venit; lengit et legit ».

— « Teneo, — inquam —; nec te iam teneo; curre tuum cursum ».

### VIII.

— « Velle decurrisse, — inquit. — Sed ad tertium velut spatium veni litterae I; cuius sonum triplicem deprehendo. Primum eius longae, et vere longae, quia non, ut ceterae, geminatur, aut apice insignitur; sed production fit, et longitudine velut dupla. Exempli causa ISO, VIVUS, AEDILIS, QUINQUENNALIS. Ideo *zeta*, *zeta*, inter omnes litteras haec proprie dicta longa. Plautus scivit, et iocum captavit in persona Staphylae:

*ex me unam faciam litteram  
Longam, meum quando laqueo collum obstrinxero.*

Apage enim vulgus interpretum, qui de littera L capiunt, quia longiuscula ea in nostra scriptione, apage et Lambinianam facem, qui ad quamvis grandiorum litterarum vult aptari: certo mecum Plautus cepit de ista; quae sola inter grandes et romanis illas litteras (nam haec ignota olim) super ceteras eminuit, et forma ipsa pensilem praetulit ac porrectam. Hac eadem mente Ausonius in liguritorem Eu-num scriptis:

*Quid imperite p. putas ibi scriptum  
Ubi locari iota convenit longum?  
(Ad proximum numerum).*

I. LIPSIUS.

(1) T. Livium scripsisse idem Quintilianus asserit.

totidem ictibus oppositus murus respondeat pilamque remittat, lusores esse oportere summpere agiles, peritos et indefessos, ad cursum et ad remedium promptissimos. Quam plane dexteritatem et motuum celeritatem iamdiu sciunt omnes Iberorum maxime esse propria, qui adfuerre praesertim non tam incruento huic exercitio, quam tauromachiis illis tremendis, quae passim in eorum urbibus habentur, ubi tamen equites peditesque euspede, vel pugione, vel gladio instructi, vel tantum rubrum sagum agitantes circa furentem belluam, tuto pede et secura virtute colludunt.

A. COSTAGGINI.

### ANNALES.

Vectigalia apud Anglos innovanda — Mauritaniae pugnae — Balcanica seditio — Iberorum foedus novum? — Chilena et Argentinensis amicitia.

**O**ESTUPERUNT passim qui sive commerciis, sive argentariae rei per orbem dant operam, de rogationibus a Chamberlainio administratore nuper oblatis circa necessitatem innovandae vectigalium liberae rationis, quam a saeculo Angli servabant. Quae publica pecunia huiusmodi e tributis affluat, eam in communis commodum erogandam esse ille censuit, ut prospiciatur praesertim egenis et senibus, qui manuum laboris iusta aliqua de causa facti sint impotes. Propositis aeriter adversatur Henricus Campbell Bunermann, qui iam ad Scotos fusam orationem habuit, ut acceptum hue usque libertatis regimen tueretur. Disceptatio, quae maximus ponderis etiam ad rem argentariam ceterarum gentium plane appetet, non sine peculiaria cautela et studio consideranda nobis relinquitur.

\*

Mauritaniae res pessimum tempore audivimus ob perduellum Mauritanorum audaciam, qui finitimas Berberiae regiones, et praesertim Figuig oasis incolunt. Haec enim limina cum Ionnart, gallius Berberiae proconsul, lustraret, in eum inque eius comitatum igniballistis instructi Arabes insidias struxerunt. In transeunte iacta missilia; lanceis etiam ac mueronibus proelium commissum est. Inde male percussi Galli sumere iniuriarum tum veterum tum recentiorum ultiōnem armis citissimis sese parant. Nec Gallorum iuri legitimo aemulae gentes quidquam opponant. Quapropter instruetae legiones peditum tormentorumque currus alaeque equitum ad fines Fuiguigenos concurrunt iam iam bellum commissurae et audaciam latronum protervam fracturare. Mauritanus enim ille rex regnique eius adeo exanimati civili seditione aberrant, ut impotes omnino facti sint tuendae publicae incolumitatis. Res igitur ad Gallos transiunt, favente etiam foedere anno MDCCCXLVI, quo Galli ius tribuitur consequenti trans fines quoque imperii perduelles et latrones, a quibus forte iniurias acceperint. Verum prae-nunciant Mauritanos illos barbaros ultricibus Gallorum cohortibus non sine constantia obfuturos.

\*

Ex Balanicis discordiis nil gravius superaccidit; at pergit late Bulgarorum Turcarumque advelitationes, et hinc et inde saevit

in dies ferocior ira et bellica rabies. Bulgarorum rex iam ad suos redux, orationem Bourgas ad portum habuit de sedanda animorum ira et de malis componendis amicis.

Turcae autem ut vieissim paci operam dent Bulgares plurimos, inter novissima discrimina in vincula traditos, libertati reddunt paullatim. Pacifica haec negotia si utrinque provehantur pignus restituae concordiae non vannum arribent.

\*

Nova vero communis pacis semina Henricus, Guilelmi Caesaris frater, ad Iberos iter deducens coniecit. Spopondisse enim affirmant Alfonso regi non dubiam neque defuturam ei amicitiam Germanorum; nec desunt qui coniecent foedus omnino esse sanctum; quod tamen haud perspicue innotuit.

\*

Habemus denique ipsas inter Ibericas gentes Americae meridionalis novae concordiae auspicia; nam Chileni legati ad Argentinos fraternali manu allaturi mox accessere. Atqui recordamur quanta inter duos populos recens odio et quanta aemulatio flagraverint! Sed rerum publicarum moderatoribus ea fuit prudenter, ut tutam et diutinam amicitiam utraque gens ad invicem confirmaverit, quod sane Amerieis illis latinis auxilium reique suea augmentum erit, erit et saluberrimum exemplum.

POPLICOLA.

### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia de lege vectigali prorsus immutanda deque tributis contra exterorum commercia statuendis Chamberlainius orationem habuit: res tamen longa disceptatione agitabitur.

In Gallia de captae pecuniae incusationibus in administratorum et rei navalis praesidem apud oratores populi agitatum, ex quibus tamen nihil memorabile consequuntur est, et adversariorum conatus in irritum ecesserunt.

In Italia de summis expensarum, quae in publicas necessitates ergo ad proximum annum propounderunt, rogationes singillatim expenduntur.

In Peruviana republica Emanuel Candiano praeses electus est; ad eius vices gerendas Alareo primo, secundo loco Calderon sunt vocati.

SCRIBA.

### LIBRORUM RECENSIO

#### Thesaurus.

Iuxta carmen Bohemicum C. J. Erben seruit FR. PALATA. — Chemnitzi, apud Car. Wiegert, MDCCCCIII).

Francoiseus Palata, qui in *Vox Urbis* arguta solet et concinne descripta aenigmata propone, nuper carmen edidit, quod *Thesaurus* inscribitur. Seripserat illud bohemice C. J. Erben; idemque vertit Palata noster in disticha latina. Cuius interpretationis quanta sit fides, nescio equidem, cum Bohemorum linguae plane sim ignarus; id tamen affirmare possum, versus illos, qui duecenti et quinquaginta fere numerantur, ita prono fluere alveo, ac si musa eos latine primum fudisset. Legenti statim liquet, Palati manibus diurnis atque nocturnis

versari opera Vergilii, Ovidii aliorumque poetarum melioris notae.

Argumentum ipsum delectat, quod ex populari apud Bohemos traditione desumptum est. Egregie ibi docetur, avaritiam esse fugiendam, aurumque sperni debere, si eum bonis superioris ordinis comparetur. In ipsa narratione, quae matrem inducit cum suo filio et ditissimum, qui repente patet, thesaurum, pulchra intexta reperis turritum sacellum in colle solitario ac nemoroso exstructum, et funebre Hebdomadae maioris triduum, quo ad templum

*Christicolas... non clangor tintinnus aeris,  
Ligneus, sed crotali vox gemebunda vocat.*

Tum enim

*Maeret delubrum: muri posuere decorum,  
Aram funerea cum cruce rēla tegunt;  
Austeris numeris lugubre crientur in aede  
Hymni, queis canitur passio, Christe, tua.*

Plurima in hoc carmine nitent, quamquam, ut candide fatear, non ita probandus videtur unus alterve versus, in quo auctor vel laxiore utitur versificatione, ut eum ultimam syllabam in verbo *putredō* corripit, vel eum pro ablativo *lugubri*, *lugubre* ponit. Quae tamen non impediunt, quominus carmen Palati egregium sit habendum.

Scrib. Vindobonae.

FRANC. XAV. REUSS.

### AENIGMATA

#### I.

Visere si me vis, adeas pia limina templi,  
me siquidem templis semper inesse decet.  
Littera parva caput, Grauis ignota, coronat?  
Obscoenas pecudes sub mea tecta vides.

#### II.

Olim cara Iovi, speciem mentita iuvencae,  
cornigeri coniux Apidis ipsa fui.  
Si mihi litteralam insereres, materterea Bacchi,  
iam fierem, rabidi victima facta maris.

I. B. PESENTI.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

C. PLINII CAECILII SECUNDI  
PANEGLYRICUS  
TRAIANO IMPERATORI DICTUS.

Aenigmata an. VI, n. VIII proposita his respondent:

1) Letum, Telum; 2) Mensis, Ensis, Mens.

Ea rite soluta miserunt:

I. B. Pesenti Roma. — Gui. Schenz, Ratisbona. — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis*. — V. Hertel, *Mendhusio*. — Arn. Alterocca, *Venetis*. — E. Burg, *Argentorato*. — Benvenutus a Foro Cornelii, *Faentia*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Car. Stegmiller, *Sabaria*. — Iul. Sernatinger, *Dresda*. — Rich. Malotta S. L. *Brzozow*. — Aem. Gschwind, *Praga*. — Ant. Lassota, *Sutrio*. — H. A. Strong, *Liverpool*. — Coll. Schol. Piarr, *Stettae*. — Fr. Szabó Kálmán, *Törörd*. — Alex. P. Gest, *Lambertville*. — Tr. Grottanelli; Herm. Gini, *Aquis Taurinis*. — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — Ad. Huza, *Grybówia*. — Eug. Sosio, *Bormio*. — Dom. Farese, *Neapolii*. — Fr. Benedictus, *Simpelved*. — Alois Battisti, *Marauna*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. — Arn. Rudzianski, *Simphoropolis*. — Ios. Wilhelm. Battle. — Mich. Fusco, *Formentola*. — Ios. Walter, *Neo-Eboraco*.

Sortitus est praemium

BENVENUTUS A FORO CORNELII,

ad quem missum est opus, cui titulus:

MINUCHI FELICIS  
OCTAVIUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis Phil. Cuggiani*.

IL

S. Ma  
rei longe  
pretatione  
Cantici o  
vadori, 1  
edidit cura  
L. 0.50, i

IU

artem  
Si quis  
certior

S ad n  
tionem  
ma, rotar  
ministerio  
sima via  
que ossa  
dilecto  
Madritum  
inconsulto  
novissimi  
propheta  
dos nepo  
cursus ce  
ferrea ma  
suleos; co  
reliquia  
ad saxa:  
eiusque  
vero victi  
membra

Lenior  
manis so  
inierant  
rum adve  
ter vota  
valere so  
nasarcha  
se iam ac

Attame  
Americae  
clades in  
haec urb  
merior

vidii aliorumque poe-  
electat, quod ex po-  
raditione desumptum  
avaritiam esse fu-  
ni debere, si cum bo-  
nparetur. In ipsa nar-  
duceit cum suo filio  
nte patet, thesaurum,  
turratum sacellum in  
so exstructum, et fu-  
oris triduum, quo ad

or tinnulus aeris,  
et gemebunda vocat.

posuere decorem,  
ice vela tegunt;  
cientur in aede  
passio, Christe, tua.

e nitent, quamquam,  
ita probandus vi-  
s, in quo auctor vel  
ne, uti cum ultimam  
dō corripit, vel cum  
ubre ponit. Quae ta-  
minus carmen Palati

RANC. XAV. REUSS.

IATA

ia limina templi,  
emper inesse decet.  
is ignota, coronat?  
mea tecta vides.

mentita iuvencae,  
ipsa fui.  
es, matertera Bacchi,  
ma facta maris.

I. B. PESENTI.

e aenigmatis inter-  
tarii moderatorem  
os, unus, sortitus,  
titulus:

I SECUNDI  
US  
RI DICTUS.

posita his respondent:  
sis, Ensis, Mens.

enz, Ratisbona. — Ioan.  
V. Hertel, Mendhusio.  
rg, Argentorato. — Ben.  
D. Le Provost, Bricen.  
Sernatinger, Dresden. —  
m, Gschwind, Praga. —  
ong, Liverpolia. — Coll.  
lmán, Tmörk. — Alex.  
elli; Herm. Gini, Aqui.  
Cracovia. — Ad. Huza,  
Dom. Farese, Neapol.  
s Battisti, Maraua. —  
s. — Arn. Rudzianski,  
e. — Mich. Fusco, For-

ORNELII,  
s:  
TIS

AMPI, iurisperitus.  
hil. Cuggiani.

## LE LAUDI LATINE E IL CANTICO DEL SOLE DI S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latine cum interpre-  
tatione italica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae  
*Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Sal-  
vadori, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima  
editis cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit  
L. 0.50, in pauperum levamen.

## IUVENIS QUIDAM ITALUS MEDICINAE DOCTOR

artem suam profiteri cupit apud exterias gentes.  
Si quis itaque officium aliquid ei offerendum habeat  
certiore de re faciat

Commentarii *Vox Urbis* administratorem,  
qui negotium aget.

### PER ORBEM.

**S**i ad nostram hanc menstruam peregrinatio-  
nem explendam ferventis spiritus flam-  
ma, rotarumque citissimo cursu evolantum uti  
ministerio placuissest, magisquam tuta antiquissi-  
ma via sapientiae et intellectus, nostra quo-  
que ossa certo certius existimo albescere, can-  
dide lector, media in via vidisses, quae Lutetia  
Madritum petit. Nonne immutata amentium  
inconsulto furore via iam sternitur adspectu  
novissimo, quasi vallis illa, quam vaticinans  
propheta conspexit Ezechiel? Sed ad docen-  
dos nepotes quoniam citissimi saeculi praepes  
cursus correperit patres, manebunt quoque  
ferrea machinarum fragmenta disseminata per  
sulcos; colludent hinc et inde fractarum vehum  
reliquiae ad arbores, ad terminales muros,  
ad saxa: haec informi acervo quiescent ex oc-  
cursu teterrimo decentantium ad metam: haec  
novissimis aurigis palmae obtigerunt, qui no-  
vos circos ebria mente et vento celerrimi,  
eiusque obstaculi negligentes dimetuntur; tot  
vero victimarum quis sarcet vitam, quis fracta  
membra restituat?



Lenior arrisit, et iure quidem, nautis Germanis  
sors itineris, quod iam summis laudibus  
inierant ad polum antarcticum. Horum nimis  
adveniunt epistolae Durban ex portu praeter  
vota optimae, quae nunciant nautas omnes  
valere sospite vita. Signavit scripta Drygalski  
nasarcha, atque ex oceanis indicis emisit, men-  
se iam acto Maio, felici nautis augurio.



Attamen amara docent iterata frequenter  
Americae diaria, quae non perraro funestant:  
clades infinitae, civilia terribilia bella. Topeca  
haec urbs patitur, ligneis quae muris patebat,  
fluminis ad ripas multis exulta colonis com-  
merciorumque dives atque industribus aedibus.

## FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

## URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS (m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur  
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

## TORQUATI TASSI HIEROSOLYMA LIBERATA

a IOSEPHO TORALDO e versibus Italicis in  
latinos conversa,

apud *Vocis Urbis* administratorem  
ven. lib. 6.

Hanc Numinum irae consertis male sagittis  
igne petunt calido, petunt glacialibus undis.  
Aestuant inde moles, ardent domus, tempa  
corrunt; hinc furiosae elato gurgite lim-  
phae vias plateasque invadunt, occupant atria  
civium, domesticaque limina unda spumosa  
occupant. Non tectorum culmina, non arbo-  
rum vertices pavidos iuvant cives, non lux  
matutina fugatis tenebris affert solatium;  
non iuvant scaphae, quae nimio fugientium  
pondere oppressae aberrant, quoque ver-  
sa merguntur. Non iuvant auxilia hominum  
ciborumque armorumque, quae ferrei tram-  
ites patria caritate mittente undique compor-  
tant; biscentum extincti lugentur flammis vel  
aqua; millies centenis millibus libellarum aesti-  
mant tot fortunarum exitium! Aqua tandem  
domuit rabiem ignitam Vulcani, at exuviis  
quietum comparavat sepulchrum.



At Kansas ad urbem, simulque Atalanta in  
Georgia nobili regione fit par omnino ruina.  
Inundantes aquae pontes avellunt Kansas in  
flumen, ac Georgiana oppida omnia vento fu-  
renti pluviaeque furore perrumpuntur: lateres  
ex tectis avolant in subditas vias, feruntur ci-  
ves nullo aerostatico globo nullisque alis innixi,  
vel machina nulla, aquilonari rabie avium iam  
more per auras, at multi deiectis circum frag-  
mentis necantur.

Quamquam nostrae quoque litora Partenopis  
flamarum ira devastata vident tertio iam  
die aedes argentario, et custodiam pignora-  
ticiam proxime subiectam, publico ubi foenore  
pecunia misellis datur, ubi exiguae merces  
pignore acceptae, certis armariis late per pa-  
latium pie servantur. At iam ingentem divi-  
tum fortunam una cum rebus pauperum clien-  
tum aequo furore flammae devorantes solo  
adaequantur.

Ultimum dicam incendium, quod ballistarii  
milites vacantes suis exercitationibus Haspel-

schied in campo, missili ignito forte excitaran-  
tum Martiale campum Caesar Imperator paucis  
diebus ante sollemniter inaugurarerat.

Bitche denique lucus magnus atque densus  
facilis praeda flammis excitatis patuit late, vix  
quas cohibuere vigiles multi.



Nos vero tantis sospites ruinis iuvat parum-  
per leniter morari in ephabeo Florentino sacro  
inter tirones, qui disciplinis operam impen-  
dunt bibliis, quarum publice dederunt multa  
cum laude specimen eximium, mense peracto.

Quatuor alumni periclitantes thesim quisque  
suam de libro Danielis breviter, sed dilucide  
explicante argumentis ex libro ipso petitis  
adversus recentiorum Rationalistarum, quos  
vocant, commenta, confirmarunt, contradicta  
penitus dissolverunt. Facto prospere periculo,  
ex audientium corona, in qua et Satolli, Pur-  
puratus pater, et Archiepiscopus florentinus et  
ali Hetruriae antistites conspieni erant, ado-  
lescentes gratulationes et plausus excepserunt.

VIATOR.

### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

De imitatione Christi libri quatuor Saerae  
Scripturae concordantia illustrati et parvulo  
commentario aucti, auctore G.-A. O. presby-  
tero. — Tornaci, Parisiis typis Societ. S. Ioani-  
nis Evangelistae, Desclée, Lefebvre et Soc.  
Edit. Pont, 1902.

P. EMILIO CRIVELLI, O. F. M. Di Mons. Cle-  
mente Colfelli O. F. M. Missionario Apostolico  
nel Chen-Si settentrionale in Cina. — Qua-  
racchia ad Florentiam, ex off. Collegii S. Bo-  
naventurae, 1903.

CAROLUS AGNOLETTUS. Ob dedicatum recens  
exstructum sacellum Seminarii Tarvisini. —  
Tarvisii, ex off. Turazza, MDCCCCIII.

— Ad Leonem Pp. XIII vigesimum quin-  
tum annum sui pontificatus completem, car-  
men. — Indidem.

FRANCESCO MACRY-CORREALE. Saggio flo-  
sofico sull'errore. — Equotutici, ex off. Pa-  
scarelli, MDCCCCIII.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

**ARISTIDEM LEONORI EQUITEM**  
**COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,**  
**ROMAM, via Alessandrina, 87.**

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium ut supra miserit infra lanuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

- a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*
- b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*
- c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

**QUI NOVOS DABIT SOCIOS**

elget insuper:

- a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italianam ubique ad Libell. 7, 50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito; *sive*
- b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;
- c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi *gratis* Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

*Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.*